Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36535
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

monte stare dicunt cum ipsi sint mons syon. quia
uidelicet nisi quis etiam supra semetipsum ascenderit.
de bestia non triumphabit. In magna enim mentis celsi-
tudine stare debet. qui contra seculi principem certa-
men init. Intuendum etiam quod agnus hic stare
prohibetur: cum lucas de eo dicat. dns ihc ascendit in
celum. et sedet ad dextris di. Unde sciendum quia sedere
regnantis est uel iudicantis. stare uero laborantis uel
adiuuantis. Quia ergo post deuictam mortem xpc resur-
gens a mortuis data est potestas in celo et in terra.
iure eum lucas sedere dicit. Hinc etiam stephanus uim
manus lapidantium positus intuens in celum dixit.
Ecce uideo celos apertos. et ihm stantem ad dextris uirtutis
di. Stant quoque cum illo electi. qui laborant in presenti
uita. et in certamine sunt constituti. Habent nomen
eius et nomen patris eius scriptum in frontib; suis.
Non debemus hoc carnaliter intelligere quod scilicet
habeant quedam pitaciola. frontib; suis circumligata
in quib; sit nomen agni. uel patris eius scriptum. Sed in
suis frontib; nomen agni. et patris portant. quorum
fidem tenent et operib; ornant. Et quia in nomine
patris et filii signantur et hoc signo crucis ab omnib;
tuentur aduersis. Et audiui uocem de celo. tamquam
uocem aquarum. et tamquam uocem tonitrui magni. et
uocem quam audiui. sicut citharedorum citharizantium
in citharis suis. Celum ipsa est ecclesia. quam ob causam et
illi qui cum agno. ipsi sunt celum. Et quia multa per dni
misericordiam uirgines. et ex omnib; gentib; sunt colli
gendi. idcirco eorum uox similis uoci aquarum multa